1118.

20 74

De quibusdam veterum philosophis eorumque doctrinis.

P. G. Wiedemann

1826. Sem. I. Jero allat.
Recensui m. Aug.

cum in sequentibus multa temerè dicta atque veterum philosophorum gloriæ, per tot sæcula magni æstimatæ, insolentibus verbis quodammodo contaminata videri possit, non præter rem erit, ne talis criminis reus fiam, dicere, quæ mox sequentur, non omnia mea esse, sed pro parte quadam collecta ex annotationibus, quas carminibus suis adjecit Thomas Moore, præclarus Anglicus poëta et Romanorum & Græcorum veterum non minus quam recentiorum populorum, eorumque consuetudinum, linguæ atque philosophiæ scientiâ imbutus. – Neque ego omnibus illius dictis assentiri ausim.

Epicurus, cujus nomini magna inusta est infamiâ, unus est in publico quasi totius terrarum orbis judicio accusatorum, quarum causam non tantum tempus, idque solum, egit, sed iteretiam, ut insigni gloriâ non ex judicio reportarent. Jam Seneca illis viris eum annumeravit, qui dum in vivis erant, ab æqualibus iniquissimâ ratione contemnebantur, at hujus sæculis temporibus Epicurum ab omnino om-

nibus) maximi aestimatum esse, notum est. Cum postea literae ingenuae sepultae jacerent, per longam barbarorum saeculorum seriem non melior fortuna, quam qua vivens fruebatur, Epicuro reservata, ~~est~~ ejusque nomen nigra hominum exsecratorum nota insignitum erat. ~~Cum~~ Literis autem saeculo XV in vitam revocatis, me cula etiam, qua Epicuri nomen adspersum erat, extincta est, nosque jampridem eo progressi ~~sunt~~ mus ut vix ~~nemo~~ quisquam majorem ignorantiae suae documentum edere possit, quam Epicuro, ad morum honestatem quod attinet, non magni aestimato. Quem enim Cicero bonum appellat, de ejus probitate dubitare non licet. Non facile ullus reperitur, qui majoris amicitiam habuerit, majoris ve habere alios docuerit, quam Epicurus. Absolutam bonorum communionem, quam Pythagoras postulavit, inter amicos locum habere noluit, hoc vero statuit, ut quisque ad opem alteri, si opus sit, ferendam sponte sua paratus sit. Ad quod quidem praeceptum omnes discipuli ejus maxima cum fide actiones suas componebant, quo factum esse fiebat, ut concordia admiratione digna inter eos inveniretur. — Praeter hoc artioris amicitiae

studium nemo majorem etiam civium ~~circulum~~ numerum magis amavit quam Epicurus. Ejus studium ~~rei~~publicae salutis nulli mutationi obnoxium erat vel in funestissimis patriae calamitatibus. Demetrio Athenas obsidente alio se conferre potuit, tamen remansit, et quidem, ut ipse dicebat, ut easdem cum Civibus suis afflictiones subiret. Cum eodem tempore suam discipulorumque vitam fabis tantum sustineret, tanta cum fide id fecisse traditur, ut ne unam quidem amplius, quam quisque accepisset, sibi sumeret. Eximium autem exemplum exhibuit ratione habita officiorum civitatis gubernatoribus debitorum. Bonos inquit praesules cupio, iis tamen qui exstent, etiamsi vel pessime civitati praesint, obedio." Quae quidem regula si non observatur, actum est de republicae salute. Bona tempora optanda sunt, omnia vero perferenda, haec etiam Alexander Severus militibus dixit, haec Epicurus captavit.

Doctrinam suam de atomis Epicurus novam esse dicit, neque ab ullo se eam mutuatum esse jactatur. Attamen jampridem ante illum haec doctrina nota et divulgata erat, et Democriti fontibus Epicuri hortos rigatos fuisse Cicero dicit. Nihilominus tamen Epicurus

philosophiae suae majori fortasse jure quam ullus aliorum veterum philosophorum novitatis gloriam vindicare potest. Quamquam enim singulae eorum scholae inter se plane differre videntur, haec differentia in verbis tantum aut parvis rebus sita est, et ~~vix~~ inter tot vix una inveniri possit, quae propriis gaudeat ~~doctrinis~~ opinionibus. Doctrina de mundi aeternitate apud omnes reperitur; continua enim metempsychosis Pythagorae, immanis Stoicorum annus periodicus, ~~in~~ cujus fine universum mundum in primum statum ~~re~~ reverti novumque cursum incipere putabant, perpetua atomorum dissolutio et conjunctio, quam Epicurus ejusque discipuli obtinebant, haec doctrinae omnes eandem fere rem aliis verbis exprimunt et continent. Stoicorum annus, ut Augustinus dixit, in eo tantum differt a Pythagorae opinione, quod pro infinita animorum migratione per varia corpora, easdem animos eademque corpora restituit, ut priorem cursum repetant; sic, inquit eadem tempora temporaliumque rerum volumina repetuntur, ut sicut in isto saeculo Plato philosophus in urbe Atheniensi in ea schola, quae Academia dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro saecula, multum plexis quidem intervallis, sed certis, et idem Plato et eadem civitas eademque schola iidemque discipuli repetiti et per innumerabilia deinde saecula repetendi sint." — Ea de causa qui nunc sunt in usu ritus, centies millies fuerunt, totiesque renascentur quoties ceciderunt.

Singulares Stoicorum, quibus sapientia summum videbatur bonum, in quo cetera omnia contineantur, notiones de pulchritudine, felicitate, divitiis, quas Lipsius huic sectae peculiares esse putabat, et ipsos mutuati sunt, atque omnium paradoxorum eorum fons Plato videtur esse; Ita dogma Stoicorum "dives qui sapiens" jam antea Plato elocutus est, ~~qui~~ in fine Phaedri ita fere precatus ~~est~~: Ω φιλε Παν τε και ἄλλοι ὅσοι θεοι, δοιητε μοι καλῳ γενεσθαι τανδοθεν· ταξωθεν δε ὅσα ἔχω, τοις ἐντος ἐιναι μοι φιλια·

πλουσιον δε νομιζοιμι τον σοφον. Alia praeterea exempla multa ex aliis Platonis operibus afferri possent, quare Cicero etiam in praefatione ad paradoxa sua „socratica" ista appellat.

Rutilius in Itinerario suo derisit sabbatum Judaeorum tanquam „lassati mollem imaginem Dei"; Epicurus vero aeternas Diis suis dedit ferias, atque omnem omnino providentiae vim negavit potius quam Olympi quietem turbasset. Neque tamen haec opinio ejus peculiaris fuisse videtur, si Theophilo Antiochensi credere velimus, qui in epistola quadam ad Autolycum similem opinionem Pythagorae attribuit, dicens: φησι (Πυθαγορας) τε των παντων θεους ἀνθρωπων μηδεν φροντιζειν. Plutarchus, quamquam Epicureae sectae adversarius eodem tamen errore ductus esse videtur; Anaxagorae enim et Platonis de Deo sententias afferens haec adjicit: κοινως οὐν ἁμαρτανουσιν ἀμφοτεροι, ὁτι τον θεον ἐποιησαν ἐπιστρεφομενον των ἀνθρωπινων. – Aristoteles Deum ejusmodi esse putavit ut nec bene nec male facere possit, atque exemplo utitur, non ita verecundo: καὶ γαρ, inquit, ὥσπερ οὐδεν θηριου ἐστι κακια οὐδ' ἀρετη, οὑτως οὐδε θεου. Revera Aristoteles in opinione, quam de providentia Deorum sibi formaverat, non multum differt ab Epicuri erroribus. Lunam enim ultimam divinae potestatis finem habens a nostro mundo plane eam secludit. Prima mundi definitio in commentatione ejus „Περι κοσμου", si quidem hoc opus jure meritoque attribuatur Aristoteli, ad verbum fere convenit cum Epicuri ad Pythoclem epistola de eadem re, uterque Dei mentionem facere negligit; et in Ethica sua dubitat, an Deos referat rerum humanarum, aut saltem dubitare videtur, dicens: Εἰ γαρ τις ἐπιμελεια των ἀνθρωπινων ὑπο θεων γινεται, si qua Diis sit cura rerum humanarum. Addit quidem ὥσπερ δοκει, sed et his verbis dubium vel saltem incertitudo quaedam inest.

In his fortasse falsis Aristotelis notio-

nibus causa quaerenda est, cum philosophia ejus a prioribus christianis tam pavi aestimabatur. Plato quidem raro magis quam Aristoteles est jesu christiano orthodoxus, quod dicitur, sed obscurus afflatus in stylo ejus scribendi ejus ratione sententias et imagines, quibus usus erat, pavilius pro cujusque voluntate interpretari licet, cadens illud ferrum perpetuo pungebatur, et Platonis doctrina gladius pectus est in manibus patrum ecclesiae.

Stoicorum de providentia opinio haud minus spernenda erat quam ceterorum de quibus diximus philosophorum. Illi fato omnia parere credebant, eorumque Deus et fatum erat, ut ita dicam, et nihil. Seneca doctrinam eorum de hac re ita nobis tradidit: ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur: semper paret, semel jussit.

Inter Stoicorum, Peripateticorum et Academicorum systemata tam parum erat differentia, ut Cicero ipse inter ea distinguere nesciret; Peripateticos et Academicos nominibus differentes re congruentes fuisse ait, a quibus Stoici ipsi verbis magis quam sententiis dissentirent. Quam difficile ergo fit cujuscunque sectarum illarum opiniones certis finibus circumscribere et ab aliis distinguere ex his Ciceronis verbis patet. Mirum igitur non est, multos eosque excellentissimos viros antiquitatis tam facile unam cum alia permutasse, atque sine ulla dubitatione pro rerum conditione ad alteram scholam transmigrasse. Nicias, Romanae philosophiae pater, nunc Academicus est, nunc Stoicus, et interdum vel cum Epicuro consentientem se exhibet; non sine causa, inquit, Epicurus ausus est dicere, semper in plurimis bonis esse sapientem, quia semper fit in voluptatibus. Vitam futuram interdum decidit tanquam rem fictam. Ita in oratione sua pro Cluentio, de poenis vitae futurae dicens, haec ad-

dit: quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, praeter sensum doloris. Ni forte cum Sylvio, commentatore ejus, credere velimus, Ciceronem haec dixisse ut causae suae subserviret.

Horatius papilionis instar per omnes fere philosophiae scholas volitavit, et Virgilius etiam de philosopho quem ducem secutus sit, incertos nos reliquit. Quamquam enim vetus autor vitae Virgilii Academicum eum fuisse tradidit, tamen in operibus ejus omnium fere sectarum vestigia reperimus. Eadem electica, ut ita dicam, aequitas animi in plurimis Romanorum scriptoribus invenimus. Ita Propertius et Platonem et Epicurum se secutum esse confitetur in fine elegiae cujusdam:

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis; —

nisi cum Brokhusio pro „docte Epicure" „dux Epicure" legere praeferamus, quibus verbis poëta ille Epicuri signis annumerari videtur. Seneca ipse, Stoicus, cujus doctrina videbatur

~~than~~ tam orthodoxa, quod dicitur, ut St. Hieronymus scriptoribus ecclesiasticis eum annumeraret, et Boccaccius in commentario suo ad Dantis Divinam Comoediam dubitaret, an jure in „Limbo" positus sit cum ceteris paganis, severus ille Seneca tantis laudibus extulit Epicurum, ut si haec tantum loca ex operibus ejus servata essent, non dubitaremus Epicureum illum nominare. Porphyrius in opere suo „de abstinentia" inter maximae temperantiae exempla Epicurum nominat, et Lancelottius eo progreditur, ut duces scholae Stoicae Chrysippum et Epicurum affert. — Nolimus vero videri his verbis Epicurum aggredi, quod absit! Quod enim jam in initio hujus commentationis diximus, Epicurea doctrina, quamquam postea depravata, principio haud minoris erat puritate quam cujusvis alius veterum philosophorum, atque adaequata rationi ac naturae. Plutarchus, Epicuri calumniator, ipse fatetur, in hac

re se non tam veritatis quam potius rumoris famaeque rationem habuisse, ἀλλα την δοξαν, inquit, οὐ την ἀληθειαν σκοπουμεν. – Stoicorum partium studio calumniae attribuendae sunt vitae atque opinionum Epicuri ejusque discipularum, et veterum narrationes de Epicuro eodem cautione quam declamationes patrum ecclesiae contra haereticos legendae sunt, ita ut non majorem fidem habeamus ~~credamus~~ Plutarcho de dogmate quodam illius philosophi, quam Sto Cyrillo credamus de Nestorii doctrina. –